

Wc  
509



h. 10



h. 65, 17



IVSTI LIPSII  
ORATIO.

DE OBITU ILLUSTRISSIMI  
PRINCIPIS IOHANNIS GVILIELMI, DV-  
CIS SAXONIAE,

Qui vivere desijt, X XIV. Februarij,  
Anno salutis CI D. IO. LXXIII.  
Habita Ienæ,  
Die XVIIII. Martij. Anno eodem.

*Iterum, in publico hoc Luctu justissimo, publici Iuris facta,*

PIISQVE MANIBVS  
FILII EIVSDEM.

NVNQVAM SATIS LAVDATI PRIN-  
CIPIS AC DOMINI, DOMINI FRIDERICI  
GVILIELMI, Ducis Saxoniae; Qui cum flagrantissimo Sacrae Cæsareæ  
Majestatis; Singulorum Romani Imperij Ordinum; Maritæ, Sobolisque  
dilectissimæ; atque adeo omnium vere piorum, Civiumque Bonorum de-  
siderio, in vera CHRISTI agnitione, constanti eius confessione, &  
ardenti Invocatione, Animam suam placide efflavit. Die  
VII. Iulij. Anno M. D. CII.

CONSECRATA.

HALÆ SAXONVM,

Apud Ioachimum Kruseken Bibliopolam.

Typis Erasmi Hynitzij.





*Candido & benevolo Lectori S.*

**I**nter alia pietatis Officia, quæ Deo maximè probantur, & Pij bene Meritorum Principum Manibus debentur, non postremum sibi locum vendicat, tota mente in eam curam incumbere, ut Ipsorum ne Posteritas quidem omnium seculorum immemor esse possit. Iam verò nullus sanæ mentis homo inficias iverit, plusquam Cimmerijs tenebris obrutum esse, quicquid non vel Literarum, vel Monumentorum luce accenditur. Ac sanè Monumenta ingeniosè, affabrè, splendideq; extructa, egregijsq; picturis adornata, licet omnibus Posteris Maiorum suorum Animi Magnitudinem, virtutes & Merita sub oculos ponant, & in mentem revocent; Attamen nec omnis ætatis, nec in tanta Temporum conversione firma, stabiliaq;, magisq; ad exiguum Temporis spacium, quàm Posteritatis Memoriam accommodata sunt; quippe, quod tandem, infesta & rebus magnis infida existente Fortuna, vel Belli sævitia, vel Fatorum acerbitate fracta atq; subversa, deleantur atq; corruant. Vt graviter olim Mantuanus Poëta doctissimus cecinit:

*Pyramides Nili, Pharos Insula, Iuppiter Ammon,  
Mausoli, & Trivie marmora celsa Deæ.  
Regna Semiramidis, Romana palatia iunge,  
Si placet & Solymi Tempia superba Dei.  
Talia simplicitas Hominum Miracula dixit,  
Qui nisi terrenas nil speculantur opes.*

Hæc Lapidum moles, calataq; saxa fuerunt,  
Quæ gravis eximia fecerat arte Labor.  
Longa dies Marmor solidum contrivit & æra;  
Tempus enim dura singula fauce terit.  
Mius opus virtus, quam nec dissolvere possunt  
Tempora, nec rauco fulmina pulsa sono.

**E**Rgo præter Monumenta, præclara illa quidem, sed fluxa & caduca, Orationis etiam facultate & Literarum luce opus est, quæ firmæ stabilesq; sunt, & circumscriptos huius fluxæ nostræ vitæ Terminos, cum omni Posteritatis Memoria adæquant; quæ per se splendent, nec alienis sordibus obsolescunt, temporumvè injuria pereunt. Est enim ea Literarum dignitas, ut quicquid hinc Re- rum vniversitatis ambitus continet, earum regatur atque conservetur præsidio. Hinc illa vox Ennij:

*Nemo me lacrymis decoret, nec Funera fletu  
Faxit. Cur? Volito docta per ora virum.*

Hinc illud Horatij: Dignum laude virum Musa vetat mori. Innuere nimirum voluerunt Poëtæ doctissimi, non tantum virtutem & cætera, quæ laudem merentur, per se Nominis Immortalitatem parere, sed etiam invenire præcones, viros doctos, qui ad posteritatem eorundem memoriam propagant. Gloria enim est individua virtutis pedisse qua, ideoq; docti quidam viri eandem virtutis umbram nominarunt, ut quæ virtutem vel sequitur, vel etiam antecedit. In hunc autem præcipuè finem Poësis & Oratoria facultas Hominibus à DEO concessa est, ut Bonorum laudes decanter, reprehendat Malorum lapsus,

lapsus, atq; ita literis consignata ad posteros transmittat.

Sic olim Homerus, Virgilius, Cicero, Cæsar, Livius & id genus alij complures, Viri præstantissimi, suis Ducibus, Imperatoribus, insignibus etiam Artificibus, immortalis nominis famam, suorum scriptorum Monumentis pepererunt. Atq; ut ad scopum eò propius collimemus, nec in infinitum evagemur, sic ante annos viginti novem, Vir in omni Literarum genere politissimus I V S T V S L I P S I V S, omnino sibi persuasum habuit, se hanc gratiam pijs manibus Illustrissimi Principis, IOHANNIS GUILIELMI, Ducis Saxoniae, qui verè <sup>ἄριστος</sup> Pater patriæ, & satis munificus Ecclesiae Christi, civiumq; illius Mæcenas, Musarumq; Nutritius fuit, debere, ut Beneficia eius maxima in Ecclesiam & Rempub. Christianam, virtutesq; summas sua quoq; voce celebraret. Sed quoniam huius Viri doctissimi de Obitu Principis jam nominati Oratio disertissima & gravissima, jam diu suppressa latuit, & ad nos quasi postliminio redijt, visa fuit non omnino abijcienda, sed in medium proferenda, publici Iuris facienda, & ad Memoriam Posteritatis commendanda. Tum ideò, ne quicquam ad perpetuum pientissimi Illius Principis Decus & Nominis æternitatem deesset. Tum etiam, quia nos admonuit, & ad publicationem Illius quasi stimulis quibusdam incitavit præmaturus, & justissimis querelis deplorandus Filij eiusdem, Inclyti Principis ac Domini, Domini FRIDERICI GUILIELMI, Ducis Saxoniae,

niæ, & quondam Tutoris & Administratoris Electora-  
tus Saxonici, obitus. Huius enim Honori & Existima-  
tioni consulere volumus, ut verum esse testemur id,  
quod Horatius ait:

*Fortes creantur fortibus & bonis,  
Est in Iuvenis, Est in Equis patrum  
Virtus, nec imbellem feroces  
Progenerant Aquila columbam.*

Hunc enim laudatissimum, pieq; defunctum Principem,  
quem iure merito Florem Principum, Decus Romani  
Imperij, Defensorem ac Propugnatorem Legum Patriæ  
dixeris, cunctis viribus elaborasse, omni consilio provi-  
diffe, maxima Autoritate effecisse, ut ne qua in parte vel  
minima vel maxima, à laudatissimo Parentis sui pietis-  
simè demortui curriculo deflexisse videretur, quis non  
videt? Testem habemus locupletem Ducatum VVima-  
riensem, cui summa cum laude, æquitate & moderatione  
incredibili sic præfuit, annis permultis, ut omnes ferè par-  
tes eius accessionem sibi fecerint, incrementum ceperit ad  
Salam Academia, caput erexerit Ecclesia, in Pace atque  
Ocio vixerint omnes cives atq; subditi. Testem laudare  
possumus omni exceptione Maiorem Ducatum septem-  
viralem, quem legitime tutelæ nomine sic gubernavit  
annis compluribus, ut sacrosanctæ Fidei Religio in Ec-  
clesia effloruerit, studia Humanitatis ac literarum in scho-  
lis vigorem habuerint, nunquã violanda Iustitiæ sancti-  
tas in Politia inviolata permanserit, Tranquillitas in o-  
mnibus



mnibus Reip. partibus apparuerit. Testes deniq; sunt omnes sacri Romani Imperij Ordines, qui nunquam non sana & *σοφιστικὰ* Eius consilia pro patriæ salute experti fuerunt. O utinam hoc tam excellenti Bono diutius gaudere ac perfrui potuissemus. O utinam huic tam Inclyto Principi producere annus licuisset, omnes Maiores suos vicisset. Tantus erat animi vigor, Tanta indoles virtutum, Tantus amor, tamq; fervens & indefessum, veram, sinceramq; Religionem promovendi, & ad seram posteritatem sanctamq; transmittendi studium. Heu duram Mortem, quæ nobis tot Bona eripuisti vno die. Tot sunt inutilia Terræ pondera, Tot flagitiorum stabula, Tot sub sole degunt Contemptores, Hostesq; Dei, & sacrosanctæ Religionis *ἀσπυροί*, immites, truculenti, indigni, quos Terra sustineat. Hæc Monstra rapienda fuerant, ut Terra purgaretur, & pristina pacis ac Tranquillitatis facies, decorq; Ecclesiæ Christi, multarum Calamitatum Turbinibus, Bellorumq; sine fine durantium procellis satis jam satis vexatæ & afflictæ, aliquando restitueretur. Sed non rapiuntur. Sic est divina Voluntas, quæ decrevit nos punire ob gravia scelera nostra, quæ sine fine & modo, prohdolor, committimus. Esa. 56. *Perit ergo iustus, & non est, qui recogitet in corde suo: & Viri Misericordiæ colliguntur, quia non est qui intelligat: A facie enim Malitiæ collectus est iustus.*

Quid ergo? Qui dignus erat vivere Nestoreos an-

nos,

nos, si immitis Parca sciret hominum facta dignoscere; Is ablatuſ est, is raptuſ est, ut crudum pomum avellitur ab Arbore, ante Tempuſ. Hunc igitur luget Eccleſia, hunc Ipuſum plangit Religio, Ipuſaſq; mæret Iuſtitia; Hunc Cæſar, hunc Ordineſ Imperij deſiderant, repoſcunt Subditi, præſenſq; Rerum publicaruſ *διχομασία*, triſtiſſima revo- cat; Hunc deniq; deſlent omneſ Boni & Chriſti aman- teſ. Sed Ipuſe in cœliſ nunc fruitor Beatitudine & Læti- tia cum cœleſtibuſ Animis: Ipuſi jam neſcunt coronam Angelici chori, præmia ingentis curæ ſuæ, qua comple- xus eſt cœtuſ Chriſti nomen profeſſum.

Acquieſcamuſ ergo in benigniſſima Dei voluntate, eumq; ſupplicibuſ votis oremuſ, ut Sanctuſ inter noſ ſemen conſervet; Viduam nunquam ſatiſ laudati Prin- cipis, mœrore & luctu ſqualidam, propter concorſ illud alterni amoris vinculuſ erigat, confirmet, ab omnibuſ omniuſum Hominuſ Iniuuriſ clementer defendat & pro- tegat; Illuſtrem quoq; ſobolem, mœſtitia pleniſſimam, conſoletur, Spiritu Sapientiæ ex altiſſimis induat, ſal- vamq; & incolumem conſervet, ut Parentiſ & Avi, He- rouſum æterna Memoria digniſſimorum, veſtigia ſimili- cum laude ſequi, fortiterq; & conſtanter ad extremuſ uſq; vitæ halituſ tueri queat. Sic Eum laudabimuſ, & celebrabimuſ in hoc & futuro ſeculo. Tu vero, Le- ctor Benevole, fruere hiſ & benè vale,

JUSTI LIPSI

ORATIO

DE OBITU ILLUSTRISSIMI PRIN-  
CIPIS, IOHANNIS GVILIELMI DV-  
CIS SAXONIAE.

**S**iquis vestrum est, Auditores, qui ad hoc munus dicendi, quod illustrissimi Principis nostri honori debetur, parum aptū & idoneum me arbitretur: is adscribat ad suum iudicium non aliorum modo, sed etiam meam ipsius sententiam. Nam & in dicendo, quā, parum vel usu vel ingenio possim, ipse mihi sum testis: Et tamen quantum possum, quibus adjuventis id in alijs causis soleo consequi, studio nimirum & industria: ea hoc tempore sic me deficiunt, ut nesciam, an à diligentia imparatior ad dicendum accesserim, an à natura. Quod enim in repentino animi motu fieri interdum videmus, ut omnes eius vires subito percussa obstupescant: Itidem mihi accidit, quem inopinata Principis Mors sic percussit, ut offusa animo meo doloris caligo, & studium industriamq; meam infregerit & vocem mentemq; luctu debilitaverit. Ita fit, ut quantum

B

stu-

studij ad dicendum propensa erga Principem voluntas mihi affert. Tantum facultatis dolor detrahat, qui frangere & debilitare exercitatissimos animos potest. Quod si tam facile animo meo satisfacere, quam aliorum iudicijs potuissem, licuisset mihi post eruditissimam & longè gravissimam Amplissimi Viri Doctoris Heshusij orationem, supersedere hoc munere; cum ea præsertim illius in dicendo gravitas, ea copia, ea facultas fuisset, ut eius oratio non tacita opinione animorum vestrorum, sed perspicua admiratione merito comprobata sit; Nisi me & officij mei ratio, & insita penitus, & infixa erga mortuum Principem benevolentia, quasi stimulis quibusdam admotis sic incitasset, ut prætermittere hoc munus sine scelere posse vix viderer. Occurrebant etiam Illustrissimi Principis in me & fortunam hanc meâ beneficia: Quibus cum hanc extremam gratiam multorum iudicio deberem, malui committere, ut quibusdam fuisse nimis officiosus, quàm multis viderer ingratus. Quanquam si apud Græcos homines à vera pietate longe remotos, Deorum penè honores tributi sunt ijs, qui præclare de patria meriti mortem obij-

obiissent, eorumque laudes non tantum Oratorum  
voce celebrata, sed statuis & omni genere monu-  
mentorum prodita sunt posteritati: quis tam ini-  
quus iudex erit, qui Principi huic, quem verè Pa-  
tria Parentem & Conservatorem possumus dice-  
re, iteratum huic verborum honorem inuidebit?  
Cum praesertim tanta, & tam infinita eius sint  
laudes, ut eas omnes unius hominis oratio non di-  
cam complecti dicendo, sed vix percensere nume-  
rando possit. Quas si ipse coner persequi singilla-  
tim, non solum à tempore me deserere, sed etiam vo-  
ce, & viribus destitui necesse sit. Quamobrem quod  
Imperatores, pro re nata, in bello faciunt, ut cum  
angustijs locorum inclusi ad pugnam educere uni-  
versum exercitum non possunt, optimos & lectissi-  
mos milites in primam aciem subducant, ceteris  
remotis: Itidem mihi hoc brevissimi temporis cur-  
riculo tanquam angustijs circumscripto facien-  
dum est, & ex infinito laudum numero, capita mo-  
dò rerum & fastigia decerpam breviter, atque deli-  
bem. Quod cum facio, oro obtestorque eos per illum  
ipsum Principem, de quo dicimus, ut orationis meae  
cursum astra lenitatis, & humanitatis vestra sub-

levetis : Vt quantum virium in progressu orationis dolor mihi detrahet , tantum animi vestra in audiendo me attentio, subministrat.

Quod si justus unquam honos & habitus Principi defuncto: in nullo post hominum memoriam justior, quam in hoc reperietur. Cuius splendorem si à parentibus & generis dignitate spectamus, proh Deum immortalē, quæ familia celebrior, antiquior, illustrior, Domo Saxonica in Europa fuit, quæ jam inde à sexcentis amplius annis Romano Imperio partim ipsa præfuit, partim, qui præessent, elegit, è qua tanquam ex Equo Troiano tot delecti Heroes prodierunt, qui & armis dignitatem Imperij, & virtute nomen sustinuerunt Christianæ Religionis. Quid ego Thimonem proprium & primum huius Familiæ Autorem, regia stirpe natum prædicem? Quid Conradum? Quid Fridericum Bellicosum? quid innumeros alios: qui non solum eorum hominum, qui nunc sunt, sed totius Antiquitatis gloriam superarunt. Quid vel Avum IOHANNEM Electorem, vel Patrem FRIDERICUM commemorem, divina quadam & incredibili virtute Principes? qui lucem Evangelij primi amplexi

plexi sunt, primi contra vim ausi defendere. Quid  
JOHANNEM FRIDERICUM huius Principis Pa-  
trem? cuius singulas actiones si cum omnium alio-  
rum omnium principum rebus gestis comparem,  
istarum splendore sic obruentur, ut Illi iuvisse Remp.  
Hic servasse; Ille defendisse pietatem, Hic consti-  
tuisse; Illi humana quedam; Hic divina & im-  
mortalitatis opera gessisse videatur.

Hic ego si vela Orationis meae pandere, & a-  
perto mari vellem invehere, ingens mihi campus  
proponitur sed revocat me, & quasi manum mihi  
inijcit Princeps noster, qui Parentum laudes ita  
desiderat, ut recenseri tamen proprias malit, & su-  
as, quae tanta sunt, ut per eas singulas oculos mihi  
circumferenti, difficile videatur non dicendi ini-  
tium, sed exitum reperire. Nam ut de privata  
Eius vita primum dicam, quid hoc Principe san-  
ctius, castius, integrius unquam in Terris fuit?  
Cuius Adolescentia ita traducta est eleganter, ut  
quemadmodum Agricola ex floribus Arborum  
fructus solent praesagire, sic jam tum ex illa flore-  
scente Indole fuerit divinare excellentem quan-  
dam frugem, & maturitatem omnium Virtutum.

Scimus quàm multas & lubricas vias primæ illi  
Ætati Natura ipsa proposuit; quàm multa Blan-  
dimenta Aula & Fortuna illustrior submini-  
strant, quibus rapi & irretiri etiam atas cor-  
roborata solet: Attamen nostrum hunc Hero-  
em, neq; Natura flectere ad Voluptatem potuit,  
nec Aula tetorquere ad convivia & Luxum.  
Fuit ille hoc Robore Animi, ut eum jam tum  
sacra potius Biblia, quàm Convivia; Labor  
quàm Lascivia; Literæ quàm Libido delecta-  
rint. Nihil à me dari gratia, nihil pro Tem-  
pore dici, Testes sunt gravissimorum Hominum  
constantes sermones; Testes quedam Oratio-  
nes eius in illa ætate habita, quæ sunt editæ in  
vulgus: In quibus nisi propter Benevolentiam  
fortè me fallit, elucet non solum Morum sancti-  
tas, sed etiam Eruditio doctrina. Consecutum  
est statim primam adolescentiam eius tempus il-  
lud acerbum huic familia, luctuosum Germaniæ,  
grave omnibus Bonis. Bellatum est inter Im-  
peratorem Carolum, & potentissimos principes;  
quo quidem Tempore, cum Frater Maior natu  
cum Patre ad Danubium rem gereret, ipse  
cum



cum Imperio his Regionibus mansit prefectus.  
Finis Belli hic fuit, causa bonitas ab hac parte,  
fortuna & Mars ab Imperatore steterunt, Pa-  
ter eius IOHANNES FRIDERICVS digni-  
tate spoliatus, Libertate privatus, possessionibus  
exutus est. Hic ergo quid Principis nostri, in  
tanta calamitate, que vel maximos animos  
posset frangere, constantiam, prudentiam, pieta-  
tem commemorem? Ad Castra Caroli Quin-  
ti per medios hostes, comitatus Matre Sibylla,  
deprecatum pro Patre venit, pietatis hoc fu-  
it: Urbem VVitebergam, aliamque ditio-  
nem, ne cum DEO, & Fortuna pertinacius pu-  
gnaret, victori permisit, prudentia fuit. Ab Reli-  
gione nec abduci Imperatoris promissis, nec deter-  
reri minis potuit, constantia hoc fuit. Consecuta  
paulo postea Tempora, que nemo Bonus recor-  
dari sine gemitu possit; Pater Eius ad exte-  
rarum Gentium ludibrium captivus abstractus:  
Ipse Princeps modico comitatu, leniendi dolo-  
ris causa ad exteras gentes profectus, Po-  
meraniam vicinasque Regiones lustravit, & po-  
stremo

Arem.ò in illa Gallia luce sub Rege Henrico sic est  
versatus, ut in ea provincia Fortitudinis suae, &  
virtutis vestigia reliquerit non pressa leviter ad  
exigui laudem Temporis, sed fixa ad memoriam  
illarum Gentium sempiternam. Iam verò toto hoc  
Tempore calamitatis, Moderantiam eius, Tole-  
rantiam, Humanitatem commemorare verear, ne  
injuriam sit facere reliquis eius Illustioribus vir-  
tutibus, quae me ad se rapiunt, & quodam modo ab-  
sorbent cursum Orationis meae. Mortuo Paren-  
te, quod Lex Christiana jubet, & Natura flagi-  
tat, Illustrissimi Comitis Palatini Filiam duxit  
uxorem. Si genus spectes, Matronam nobilissimã;  
Si Mores, lectissimam; si Pietatem, tali Principe  
verè dignam. Nemo miretur, in Principis Laudi-  
bus uxorem me ponere. Non malè quispiam veterũ  
dixit, M. Antonium Philosophum inter optimos  
Imperatores numerari merito potuisse, nisi Faustina-  
nam habuisset uxorem: nimirum in viro Princi-  
pe refert, non solum ipsum vacare culpa, sed etiam  
conjugem habere, è cuius vitijs nihil retundet ad  
Ipsam. Habuit igitur Princeps eam Conjugem, de  
qua dubium sit, an ipse plus splendoris ex eius di-  
gnita-

gnitate acceperit, an Ipsa ex Illius. Nam quid de  
Castitate & inviolabili eius in Matrimonio Fi-  
de dicam? quam virtutem, ita raro in Aulis no-  
stra Tempora viderunt, ut ea non solum è sermo-  
nibus Hominum, sed penè è Memoria sublatam sit.  
Factant Græci Alexandrum Magnum, qui Darij  
Filiam, ne forma earum caperetur, abstinuit aspi-  
cere. Laudibus ferunt Romani suum Scipionem,  
qui divina forma Mulierem, apud Numantiam  
captam, intactam reddidit Sponso. Quorum si in  
una, aut altera Muliere tantopore celebratur re-  
frenata Libido, quæ tamen postea altius irrupit in  
alias: quo Te, Illustrissime Princeps, laudum ge-  
nere ornemus, cuius in omni vita eadem puritas,  
idem Tenor, ut nesciamus an adolescens castior au-  
dieris, an Maritus?

Memini ab Antiquis prudenter dictum vi-  
deri: Non omnem Arborem, aut frugem in quovis  
agro, neque omnem virtutem in homine reperiri. Quod  
in Principe nostro adeo contra se habet, ut non re-  
cusem, quin quantum de una eius virtute verè de-  
trahetur, tantum decedat omnibus. Undique suppedi-  
tat mihi, quod de fide eius, Temperantia, clementia

C

di

dicam, & quò longius in altum provehor, eò mihi patentior cursus ostenditur, nisi me & tempus, & res ipsa admoneret, ut mutata velificatione de publica eius gubernatione, quæ propria Principũ virtus est, pauca dicerem. De qua quia brevius mihi dicendũ est, quàm tantares dici possit, peto à vobis, ne rerum pulcerrimarum magnitudinẽ ex mea oratione pctius, quàm ex earũ pondere existimetis.

In gubernatione, nisi fallor, Christiano Principi tria proposita esse debẽt, ad quæ ille dirigere cõsilia sua, sicut gubernator in navigando ad portũ, debet. Pietas primũ, quæ ad Deũ pertinet. Secundo, Cõmunis utilitas. Tertio, publica trãquillitas, quæ duo ad subditos. Hæc singula prestare nõ postremi Principis est, omnia simul complecti divina cuiusdã, & excellentis virtutis. Magna laus & præcipua in viro Principe Pietas est, quam vera religione, & divino cultu metimur. Huius laudis hereditariã, & quasi per manus traditã possessionẽ Princeps noster sic amplexus est, ut post hominũ memoriã nemo religionẽ vel acrius defenderit vel studiosius propagarit. Est hæc omninò propria & insita huic familiaria laus, quam noster nõ didicerat, acceperat, sed unã cum nutricis lacte hauserat, imbiberat, ad quã

hi principes nō edocti, sed nati, nō instituti, sed im-  
buti sunt. Atq; ut illa Scipionū Gens apud Roma-  
nos ad Carthaginē evertendā fato nata videbatur:  
sic hac Saxonica generosa stirps ad Dei hostes ex-  
tirpandos, errores evertendos pestē pontificiam ex-  
cindendā, donata divinitus, et concessa Ecclesiæ est.  
His gradibus maiores eius ad cælū ascenderūt, hac  
laude ipse sic excelluit, ut ea quasi arx fuerit cete-  
rarum omnium virtutum. O dignum omnium seculorum  
memoria principem, qui initiū, qui finē principa-  
tus sui in religione cōstituit. An verò Numa Pom-  
pilius Romanorum II. Rex ob constitutā vanam re-  
ligionē hoc solo nomine consecratus est ad hominū  
memoriam sempiternā? huius principis gloriā ulla  
unquam delebit oblivio? qui non falsorū Deorum  
cultū, sed unius Dei invocationē, non mendacem  
superstitionem sed veram Evangelij doctrinam,  
non tenebras sed lucem: non mendacia, sed verita-  
tem induxit, inductam stabilivit, stabilitam defen-  
dit. Obruo exemplis eximiæ pietatis, quocunq; ocu-  
los, animumq; convertito. Ecclesiam intueor, video  
in ea veterem disciplinam restitutā: Reperio con-  
ventus Aldenburgi, Vinariæ ipso præside, Constan-  
tini

ini Magni exemplo celebratos. Ad scholam conver-  
tor; video præstantissimos viros, & lumina Germa-  
nia ex distantibus locis conductos: occurrunt tot  
privata stipendia: occurrunt privilegia illo ipso  
promulgante aucta, & amplificata: Semper enim  
ille sic de scholis sentiebat, ut in illis nisi salutem  
Ecclesie, & eas qui tollerent, Solem è mundo tollere  
judicaret. Jam verò publica omnium utilitas tanta  
solicitudini ei fuit, ut nemo parens maiorem curam  
unius filij, quàm ille omnium nostrum egerit. Dimi-  
nutis ditionis finibus, & rebus coarctatis, nulla no-  
va tributa subditis imposita, nulla vectigalia re-  
cens excogitata, ad quæ illum non solum ærarij an-  
gustia incitabant, sed aliorum etiam principum  
exempla invitabant. Nolo quenquam nominans  
offendere, sed versantur nobis ante oculos nonnulli,  
qui subditorum, quorum quasi patres, & iutores fi-  
deles esse deberent: eorum tanquam nefarij prado-  
nes patrimonia diripiunt, & census. An verò cives  
Thuringia, vos universos appello, quod patria ve-  
stra floret, quod viget, quod in publica Europa flam-  
ma, in pace, atq; ocio conquiescit, cuiquam post De-  
um, quàm principis vestri prudentia referre pote-  
stis

Stis acceptum: Laudatis propulsatam ab omnibus  
vim, & iniuriam: Princeps propulsavit. Appro-  
batis judiciorum legitimam formam constitutam?  
Princeps constituit. Gaudetis, quod novis multis  
utimini, & salutaribus legibus? Princeps eas tulit  
per quem unum suis magnis laboribus effectum est,  
ut omnia, quae superiorum temporum licentia dila-  
psa fluxerant, se verioribus institutis vincerentur,  
& jus, aequitas, Leges, in ditione vestra vigerent.  
Nec vero ipse per se tantum innocens, sed effecit, ut  
essent etiam sui. Rapinas aula repressas, excussam  
Magistratum avaritiam, libidines refrenatas &  
ut semel dicam, immutatam in melius Thuringiae  
faciem, Exteri audiverunt, Nos vidimus. O Sapien-  
tissime Plato, Tu vocis venit mihi in mentem. Tu  
dicere solebas, Beatas fore Resp. si eas, aut Philosophi  
regere, aut qui regerent, philosophari cepissent. Ora-  
culum tuum sapiens Illustrissimi Principis Guber-  
natio comprobavit. Siquidem hic est ille Philoso-  
phus, quem tu mentis oculis quasisti, quem nunquam  
etas illa viderat, qui rerum divinarum & huma-  
narum scientia instructus, sic ad Kemp. accessit, ut  
imperare se fratribus, non alienis: liberis, non ser-

vis: Et illi omnium principi Deo constare debere rationem administrationis suae putant. Nec verò ille in procuranda publica utilitate diligentior, quam in tuenda pace communi, de qua quid verba mihi facienda sunt, cum id non tantum homines testentur, sed agri penè ipsi, et campi loquantur. Quis his ipsis sex annis, quibus praesuit, militè in provincia, tumultum in civitate vidit: vidit dico? Imò quis visurum metuit? quod eò admirabilius est, quò maiorem rerum omnium perturbationem fuisse meminisses, cum Princeps Reip. suscepit. Neque enim placido mari secundis ventis navis Reip. vestra ferebatur, sed medijs fluctibus sic jaetabatur, ut jam fatigari, et cessura tempestatibus videretur: quae omnia primo anno huius prudentia sic sedata sunt, ut Deum quendam delapsum è caelo ad pacem constituendam possimus dicere. Quàm multa Vir sapientissimus dissimulavit? Quàm multa tulit conservanda publicae pacis? Honores maiores à Cesare offerebantur? dimisit. Augmentum ditionis ex fraternis bonis proponebatur? contempsit. Injuriis etià inferebantur? tulit. Nimirum ut Olympi montis cacum. en si historijs credimus, altius est, quàm ut id  
ven



ventorum flagra contingant: ideoque ab omni cœlesti  
injuria trāquillum manet, & quietum. Sic animus  
huius principis vera pietate imbutus excelsior fu-  
it, quàm ut ira, ambitione, ceterisque humana men-  
tis affectibus, tanquam flatibus possit permoveri.  
Habebat ille videlicet in oculis nō tantum Leges di-  
vinas, quas meditabatur assidue, sed etiā domestica  
exempla Maiorum. Audierat Fridericum Secun-  
dum Landgraviū Misnia designatum Romano-  
rum Regē, fortiter illum honorē contempsisse, malu-  
isseque se dignum Imperio videri, quàm Imperium  
adipisci. Meminerat alium Fridericum, cui à sa-  
gacitate mentis Sapiens cognomē fuit, eandē digni-  
tatem ultrò oblatā constanti animo in Carolū V.  
rejecisse. Hæc ille Exempla, & hanc constantiam  
æquabili & minimè ambitioso vitæ suæ cursu nō æ-  
quavit solum, sed penè superavit. Et ubi nunc sunt  
inter priscos Romanos M. Lepidus, qui sua opera,  
pace inter M. Antonium & Augustum constitu-  
ta, Concordiæ nomen superbe assumpsit; Aut L. An-  
tonius, cui ab amore fraterno, Pietas perpetuum  
cognomen fuit: Qui si reviviscant, illi ipsi se &  
superatos hoc ipso, quo gloriantur, agnoscant, &  
agno-

agnomina sua equo animo Principi nostro con-  
cedant. Atq; his rebus nimirum effectum est, ut  
eum non solum amarent sui, sed etiam Exteri ad-  
mirarentur, pareretq; ei excellens sua virtus ad-  
mirationem; admiratio, Benevolentiam; Bene-  
volentia, securitatem; securitas, diuturnitatem  
imperandi, si per caeleste Numen licuisset. Nec  
verò hoc Concordiae studium abiectionem animi  
aut diffidentiam interpretari inimici possunt,  
cuius animum & robur in bellis, cum necessitas  
tulit, non solum Germania vidit, sed etiam Exte-  
ri obstupuerunt. Illius Henricus Rex periculo-  
sissimo Bello, adolescentis adhuc laborem in nego-  
cijs, fortitudinem in periculis, prudentiam in con-  
silijs admiratus est. Illum Gallia in civilibus  
suis Ruinis, non solum fortem Bellatorem, sed  
etiam salutarem Pacificatorem experta est. Sed  
me in ipso cursu Orationis mea acerba memoria  
calamitatis nostrae subito repressit; Vitam Illu-  
strissimi Principis exposui, Mores immortalitate  
dignos, Virtutes divinas commemoravi. Nunc de  
Morte dicendum est O me Miserrimum, cur non li-  
cet nobis idem, quod Poetis, silentio praeferre pro-  
priam

priam calamitatem: Sed audite, obsecro, audite, rem illam quidem & mihi dicenti acerbam, & vobis auditu luctuosam, sed tamen utrisque Exemplo utilem. Habuit vita Eius multa praeclara, erit & in Morte, quod imitemini: erit quod admiremini.

Ante tres plus minus Menses, ut scitis, incidit in morbum Illustrissimus Princeps, cuius causas neque dubias arbitror, neque occultas. In eo quanta constantia Mentis eius, quanta fortitudo fuerit, audiistis nuper dicentem Amplissimum Virum Doctorem Heshusium, cuius Oratio in animis omnium vestrum insedit. Quam sollicitè Ille per se ipsa Morte futura previdit? Quam prudenter constituit? Quae praecepta suis reliquit ad omnem virtutem? O magna vis pietatis? O incredibilis species virtutis? Quos tu Amoris ignes in iis inflammas, quorum corda semel occupasti? Facebat in lectulo Princeps optimus: lamentabantur Liberi: merebat Vxor: At Ille inter omnium gemitus erecto capite, fracta ac moribunda voce, non de se, sed de suorum Salute sollicitus, Praecepta dabat constantiae & virtutis. O felices eos, qui Sanctas illas & extremas voces tanquam ex Oraculo audiverunt.

D

runt.

runt. Et o te multo feliciorum, Illustrissime Princeps, quem non illius hostis debilitata Mina, non conjugis, non liberorum Misericordia, punctum temporis à Christo potuit avertere? Non, inquit, non; valeat Coniux mea; valeant Liberi, sint florentes, sint beati, sed fortunam ab alijs, à me tantum praecepta discant verae pietatis. In his ille vocibus, Et in hac cogitatione capit deficere, quanquam quid dico, deficere? capit vivere, volui dicere. Siquidem illa vera vita est, cum liber animus, Et corporis vinculis tanquam carcere solutus, avolat ad Illam Beatorum sedem sempiternam. Nec verò sine divino quodam Numine factum esse putandum est, ut Sexto Nonas Martias, pridie quam ante novendecim annos parens eius, migraret à vita: Voluit videlicet divina Providentia, ut quem ille vita expresserat, eum etiam Mortis tempore referret. O astrum caeleste, quem Cometam vocamus? quas tu lacrymas nobis, quem luctum Ecclesiae hoc funesto interitu denunciasti!

Nec

Nec verò quisquam aliter existimare potest,  
nisi qui omnia casu ferri ponat, neque ullam esse  
vim cœlestem, significationemque divinam. Est pro-  
fecto illa vis: neque in illo cœlesti corpore tot Men-  
ses fax illa tristissimi incendij comparuit, sine  
comminatione impendentium Malorum. Quan-  
quam quid cœlum dico? templa, arcesque ipsæ in  
terris commovisse se videntur, cum illud propu-  
gnaculum Religionis cadere viderent. Non  
sum unus omnium maxime credulus, Audito-  
res, aut in his rebus superstitiosus. Sed audistis  
Ipsi, præteritis mensibus Tumultus nocturnos in  
agris: Sonitus in Templis excitatos: visas  
tristissimas Imagines: Deumque penè voce hu-  
mana futura prædixisse, nisi fortè & hoc casu fa-  
ctum esse dicimus, ut paucis ante Mortem eius  
diebus, affixum Insigne Ducum Saxonie, in il-  
lum ipsum locum, in quo sepultus Princeps fuit,  
sponte sit delapsum. Hæc DEI immortalis vox,  
hæc Oratio judicanda est; cum agri, cum Tem-  
pla contremiscunt, cum ipsum cœlum inusitato  
Astro vim, & quasi Iliadem quandam denunciât  
Malorum. Quæ utinam, ut initium in Princi-

pe nostro fecerunt, sic in eodem desinant. Sed Tu  
quidem, Illustrissime Princeps, quoquo modo no-  
biscum agetur, felix es & Beatus; & quanquam  
in medio spacio integræ ætatis ereptus: tamen in tot  
presentibus malis, tot futuris, incolumi dignitate  
tua, florente fama, conjuge & liberis superstibus,  
non hæc reliquisse, sed effugisse videris violentiam  
fortuna, neque erepta Tibi à Deo immortalis vita, sed  
oportune Mors data videtur. Nostrum potius hoc  
vulnus, noster hic dolor. Te ereptum luget Thurin-  
gia, dolebit universa Germania, quæ in hac pauci-  
tate Principum Bonorum, in tantis fluctibus etiam  
Te moderatore se esse privatam, quid aliud, quam  
divini Numinis iram arbitretur? Heu Germa-  
nia; Tu illa florens quondam, & beata, Europa  
Domina, Romani Imperij æmula, ad quem statum  
es redacta? quomodo flos Nobilitatis Tuæ exaruit?  
Principes Tuos alios Pueros vides, & per ætatem  
rerum imperitos: alios securos, & publicæ causæ  
indormientes, plerosque Religionem negligentes,  
quosdam sine gemitu hoc dici non potest, etiam op-  
pugnantes. Et Tu domus antiqua Saxonia, qua tot  
Heroes, tot Principes felici partu edidisti, quò oc-  
cidit

cidit vetus splendor, quò pristina tua dignitas?  
Cuius miserabilem casum recordari non possumus  
sine lacrymis. E tribus fratribus alter post calamito-  
sissimum Bellum longinquis in Oris detinetur,  
alij duo vixerunt. Vos etiam Amplissimi Viri,  
quos squalidos video, & tanquam amisso paren-  
te, orbatos; Et Tu Academia Salana, quam Salu-  
tarem non Dominum, sed Patronum, non Princi-  
pem sed Patrem amisistis! Quod si universa Aca-  
demia loqui posset, & vocem emittere, hoc diceret:  
Tu Illustrissime Princeps, cum videres, quantum  
momenti ad veram Religionem in scholis esset, me  
procreasti, aluisti, conservasti: Ut in seminibus  
causa est frugum, sic omnium virtutum, omnis  
doctrinae, quæ ex meo sinu ad Rempub. redundavit,  
Auctor & causa Tu fuisti; Quod tam diu florens,  
quod tranquilla fui, Tibi debeo. Tu me labantem  
confirmasti: oppressam salutaris dextra erexisti:  
Te Praga supplicem pro Incolumitate mea vidit:  
Tuas pro Me preces Vienna audiuit. Te jam orba-  
ta parente, tanquam infirma etate proles relicta,  
quò convertar? quos implorem? quos obtester? vi-  
cinos ne? quorum alij invident, alij oppugnant.

An longir quos? qui iuvare vix possunt, si velint,  
nec fortasse velint, si possint. Hac Academia; cuius  
tristissimis vocibus sic moveor, ut dolor finem mihi  
faciat dicendi.

Te tantum Omnipotens, aeternae, sancte DEVS,  
qui nutu tuo caelum temperas, & sola terrarum  
ultimarum, veneror atq; invoco: ut quoniam Tuæ  
caelestis providentiæ placuit, Illustrissimum Princi-  
pem Patrem nostrum è terris subtractum caelo ad-  
dere: Tu nobis desertis, destitutis, Orbis, pater, pa-  
tronus, Dominus, volens propitiusq; sis. Tu fluctu-  
antem Ecclesiam tuam, tu hanc scholam confir-  
mes. Tua hæc promissio est, Tua caelestis vox, Na-  
vem Ecclesie Tuæ agitari fluctibus posse, obrui non  
posse. En tempestas, En fluctus. Hostes externi in  
nostris finibus constituti, Alteri in ultima barba-  
ria Poloniam, & vicinas regiones affectant: Al-  
teri conjurati Evangelij Hostes, Hispani, Germa-  
niae limitem conantur percurrere, & retorquent  
sæpè oculos ad hanc patriam, quam semel è fauci-  
bus suis ereptam esse indignantur. Utinam etiam,  
utinam in ipsa Germania nemo sit Hostis. Sed in-  
tus inclusum est Malum, intus est Equus Troja-  
nus,



nus, cuius contagio latius patet, quam putamus.  
Undiq; septi, undiq; inclusi tenemur, neq; humanis  
consilijs Salus ipsa servare nos possit, si maxime ve-  
lit. Tuam Opem Deus Opt. Max. Tuam divinam  
dextram expectamus. Tu omnes illos Hostes, nefa-  
ria fœderis societate conjunctos ab Aris, Templisq;  
Tuis, à vita, fortunisq; omnium nostrum arcebis,  
eosq; qui impia consilia contra nos inierunt, aut  
ad sanitatem reduces, si id potest, aut si non  
potest, in Illorum capita cogita-  
tum Scelus con-  
vertes.

DIXI.

Corrigenda.

B 2. Facie 1. Linea 21. pro Eos, l. Vos.

Ibidem Facie 2. Linea 4. pro &, l. est.

B 3. Fa. 1. Lin 6. pro Ille, l. Illi.

Ibidem Fa. 3. Lin. 7. pro tetorquere, l. detorquere.

B 4. Fa. 2. Lin. 21. pro retundet, l. redundet.

C 3. Fa. 3. Lin. 3. pro putant, l. putaret.

Reliqua, si quæ fortè irrepsierint leviora, pro suo Can-  
dore, Benevolus Lector facile corriget.

~~111~~  
C. 509 B

M. C.



ULB Halle 3  
004 967 372  


1077






*Hæc Lap  
Qu  
Longa di  
Tem  
Mius  
Tem*

**E**Rgo præte  
xa & cadu  
luce opus est  
ptos huius fl  
steritatis Mer  
alienis sordid  
reunt. Est eni  
rum vniversi  
conservetur p

*Nemo me  
Faxi*

Hinc illud H  
mori. Inn  
non tantum  
per se Nom  
nire præcon  
dem memor  
virtutis ped  
tutis umbran  
tur, vel etiam  
Poësis & Or  
est, ut Bonor



idem, sed flu  
& Literarum  
& circumscri  
m omni Po  
lendent, nec  
è injuria pe  
cquid hior  
egatur atque  
nij:

n Musa vetat  
æ doctissimi,  
m merentur,  
d etiam inve  
tatem eorum  
est individua  
i eandem vir  
em vel sequi  
æcipuè finem  
DEO concessa  
dat Malorum  
lapsus,

